

in proxima habitarent civitate. Eas igitur ubi indagavit, audivit simul habitantes, mutuo inter se consensu firmato, nullum unquam sæculare verbum locutas. Idem cum vidisset alibi monachos, severioris disciplinæ quam ipse foret, seipsum redarguens: *Vidi monachos, inquit, et ego non sum monachus.* Idipsum aut simillimum quid haud dubie diceremus, si aliorum dotes et virtutes vel coram intueremur, vel mente saltem volveremus.

V. Cogita Dei majestatem, et nihil esse te invenies. Vere enim S. Bernardus, lib. V. de consid. cap. VI. ait: « Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione hujus quidquid hoc non est, indicas potius non esse, quam esse? » Certe angeli supremi leguntur in conspectu Dei submittere alas suas et velare facies suas, Ezech. I. *Quia sanctorum mentes, inquit ibi S. Gregorius, cum creatoris sui potentiam intenta contemplatione considerant, vilescunt eorum animo virtutes quas habent; et tanto fiunt apud se humiliores, quanto illud altius est, quod super angelos sonat.* Sic Abraham in consortio sermonis cum Deo ad suum nihilum descendit, et cinerem

se ac pulverem agnoscit: « Sancti namque omnes, inquit D. Gregorius, XVIII. moral. cap. XXXIII. quando in Dei visione proficiunt, quanto magis divinitatis interna conspiciunt, tanto magis nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quod Abraham cinerem et pulverem se esse professus sit, nisi cum habere Dei meruit colloctionem. Ubi enim ad immutabilem contemplandum super se raptus est, impletus tantæ contemplationis potentia, dum videret illum, nihil se esse nisi pulverem vidit. » Quis vero jam se Abrahamo comparare ausit? Et si ipse pulvis coram Deo, quid nos? Jam si attendamus illam Dei majestatem sese humiliasse usque ad nostram infirmitatem, eamque in carne humana et habitu viatoris pauperis occultasse per triginta tres annos, necnon ad contemptus et irrisiones ipsamque crucem demisisse; quis, obsecro, coram ipso erigere se queat? *Prorsus detestanda, ait Sanctus Laurentius Justinianus, de humilitate, cap. II. et miserabilis præsumptio est audire et oculis fidei conspiciere Deum suum mitem et humilem, et velle sectari honores, appetere dignitates, et aliis præesse desiderare.*

## DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XXII.

In illo tempore, accesserunt ad Jesum Pharisæi. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis; donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

### CONCIONES.

- I. Dilectionis Dei mandatum cur magnum.
- II. Stimuli ad diligendum Deum.
- III. Incitamenta ad diligendum Christum.
- IV. Quomodo sit diligendus Deus.
- V. Incitamenta ad diligendum proximum.
- VI. Varia hominum de Christo judicia.
- VII. Calumniæ aliquot hæreticorum in pontificem et pontificios refutantur.
- VIII. Documenta.

IX. *Mysteria.*

#### CONCIONES AUCTARII.

- I. Quomodo ex corde diligendus Deus.
- II. Diligendus Deus ob beneficia in nos collata.
- III. Christus simillimus patri suo Davidi.
- IV. Quales se filii parentibus exhibere debeant, ad exemplar Christi.
- V. Præceptum diligendi proximum, qui implendum.

### CONCIO I.

DILECTIONIS DEI MANDATUM CUR MAGNUM.

- I. Magnum est dominatu. — II. Nobilitate. — III. Opulentia. — IV. Potentia et imperio. — V. Diuturnitate. — VI. Necessitate.

#### THEMA.

Quod est mandatum magnum in lege? Matth. XXII.

Magni cognomentum, auditores, paucis datum est, in iis nimirum solis, qui in re aliqua præclara, veluti armorum industria animique fortitudine, virtute, scientia, supra omnes alios ad miraculum excellere. Hoc e numero fuere Alexander Magnus qui animi fortitudine et vic-

toriarum gloria inter ethnicos; Constantinus Magnus et Carolus Magnus imperatores qui eadem inter Christianos inelyti fuere; Gregorius Magnus qui inter summos pontifices virtute simul et doctrina; Basilius Magnus qui inter episcopos orientis; Albertus Magnus qui inter episcopos Germaniæ doctrinæ laude emicuerunt. Prætereo alios quosdam hoc honoris titulo insignitos. Si de hominibus virtute præcellentissimis ad virtutes ipsas gradum facere velimus, reperimus inter eas unam præ cæteris omnibus hoc cognomine dignam, charitatem videlicet. Hujus enim mandatum *magnum*, imo *maximum* et *proximum* appellatur ab ipsa Dei sapientia in hodierno evangelio: ab apostolo vero Jacobo, cap. II. epist. *lex regalis*. Cum ergo magnorum heroum

magnas virtutes libenter audiamus, spectemus magni hujus mandati magnas et miras præcellentias.

Magnum igitur, imo maximum est hoc mandatum et imperium charitatis.

I. Dominatus latitudine, quia comprehendit et obligat omnes homines. Nemo ab hujus imperio eximitur, quia nemo est, qui non debeat diligere Deum factorem, conservatorem, redemptorem suum: nemo qui non possit; quid enim facilius quam amare? Et amare Deum, summum bonum? Non poterit ægrotus jejunare, flagris se cedere, peregrinationes suscipere; at poterit amare: non poterit pauper eleemosynas facere; at poterit Deum diligere. Hanc ob causam hoc mandatum appellatur *latum nimis*, Psalm. CXVIII. et exponit ibi August. serm. XXII. Deinde, complectitur in se omnia alia mandata, quia ex illo pendere legem et prophetas asserit hic Dominus: et apost. ad Rom. XIII. *Plenitudo legis dilectio*. Qui enim Deum diligit, omnia ejus mandata servat, adeoque etiam mandatum de diligendo proximo. Unus ille lapis quo David prostravit Goliathum tantum valuit, quantum omnes quinque, quos imposuerat peræ suæ; quia illo uno æque illum occidit, ac si omnes adhibuisset, I. Reg. XVII. ita unica charitatis lex servata, est instar omnium aliarum. Denique, comprehendit omnes homines, amicos, et inimicos, notos et ignotos, cives et peregrinos. Quemadmodum enim cælum sua amplitudine totam ambit terram, eamque solis radiis calefacit et fecundat; pluviis quoque irrigat, etiam in spinosis et saxosis locis ita præceptum charitatis homines involvit, vultque amoris radiis tangi ac foveri, beneficiis quoque irrigari, sive amici sint sive hostes, sive civiles sint sive barbari.

II. Nobilitate. Imprimis enim omnium mandatorum supremum et præstantissimum est, et: *Quomodo oleum*, inquit S. August. serm. XLII. de temp. *omnibus humoribus superius esse cognoscimus, ita charitas omnibus virtutibus sublimior comprobatur*. Quod est aurum in metallis, ignis in elementis, sol in planetis, Seraphim in angelis, empyreum in cælis, hoc est charitas in virtutibus; ait enim apostolus, I. Cor. XIII. *Major horum (virtutum theologiarum) est charitas*. Et porro est aurum fulgentissimum quo cælestes emimus merces: est ignis cælestis animas hominum inflammans: est sol omnia illuminans, vivificans et fecundans: est seraphica virtus quæ Seraphinos inflamat: est cælum quasi empyreum in quo Deus et beati habitant, mutuo amore sese complectendo.

Deinde, cultores suos nobilitat et ad supremam

dignitatem evehit. Supremi angeli sunt Seraphini, ab amore dicti et ob excellentissimum divini amoris gradum ad eum cæli apicem exaltati: ut hinc intelligamus, quod dilectio Dei homines ad summam dignitatem attollat; ea vero est, denominatio et sors sanctorum Dei, teste D. Joanne, epist. I. c. IV. *d. cer. te: Omnis qui diligit, ex Deo natus est, q. d. Dei filius est, (adoptivus, non naturalis.)* Hoc vero plus est, quam esse supremum angelum; si solam naturam ejus consideremus, præscindendo scilicet a gratia et charitate ejus. Quanto magis igitur excelluerit aliquis in charitate, tanto altiorem in cælo thronum sortietur, tantoque major apud Deum erit. Unde S. Bern. in Cant. serm. XXVII. ait: *Quantitas cujusque animæ æstimatur de mensura charitatis, quam habet*. Ea qui caret, et si alia omni virtute, omni scientia abundet: *Ac sonans est, cymbalum tinniens est*, ut cit. loco disserit S. Paulus.

Denique, non cultores tantum suos, sed eorum etiam virtutes alias nobilitat et ornat. Quemadmodum enim sol cæteris stellis splendorem et pulchritudinem communicat: ita charitas fulgorem et ornatum dat virtutibus. Et si absque sole essent, cæteræ stellæ nullum aut exiguum splendorem haberent, omnesque licet unitæ diem efficere non possent, ita absque charitate cæteræ virtutes mortuæ quasi et obscuræ sunt, nec efficere possunt ut in anima refulgeat splendor divinæ similitudinis, quæ est gratia. Sola charitas hunc splendorem, hanc cælestem iridem in anima describit. Quare: *Venuste Plautinus senex amorem appellat Deum munditiantem, id est, omnia munda et elegantia reddentem*, inquit Beroaldus. *Mater est virtutum*, ut ait S. Laur. Justinianus, I. de ligno vitæ, c. III. ut mater virtutes alit, roborat, sustinet. Si mater hæc moriatur, protinus filiæ cum matre moriuntur: manet enim fides, manet spes, manent et virtutes acquisitæ sed mortuæ manent. Orbitas hanc mortem effecit, mors inquam charitatis. Denique, anima virtutum est, a qua earum vita pendet.

III. Opulentia. Quisquis enim hoc mandatum observat. Primo, ipsum Deum habet, seu jus ad cælestem hæreditatem. Divitem se asserebat episcopus Laodicensis et locupletatum, nullius indigentem. Sed quid scribit ipsi S. Joannes, Apocal. III. *Nescis, inquit, quia tu es miser et miserabilis, et pauper et cæcus et nudus*. Quid igitur ipsi deerat, ut revera dives esset? Subdit hoc quamprimum Joannes: *Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias*. Aurum istud charitas est (ut optime exponit Richardus, Beda, Ansbertus, Hugo card.) ardens et purgata

ab hypocrisi et scoria cupiditatis. Ita: *Sine charitate dives pauper est*, ait Laur. Justinianus citatus, cap. IV. *et in charitate pauper est dives. Charitas enim thesaurus est absconditus. Nullæ sunt majores divitiæ, quam Deum possidere et charitatem habere, etc.* Nonne ditior vobis videtur, qui plenus est Deo, quam qui plenus est auro? Deinde, omnia sua opera (dummodo mala non sint) beneficio charitatis aurea facit, hoc est, meritoria vitæ æternæ. Midam illum Phrygum regem ditissimum fabulati sunt poetæ obtinuisse a Baccho, in hospitium aliquando suscepto, in hospitii tesseram, ut quidquid tangeret, in aurum verteret. Sed cum epulæ quoque in aurum ipsi mutarentur inter edendum, facti pœnitens, oravit Bacchum, ut hoc munus ab eo tolleret. Quod non potuere ficti dii, hoc potuit verus Deus, conferre inquam homini gratiam qua omni sua opera quodammodo inaret, et meritoria cæli faciat: idque obtinet homo beneficio charitatis. Hæc operum anima est, ea vivificans, hæc eorumdem lux est, illustrans vivis, ut aiunt, coloribus: ignis est ea igniens, nam ut ignis ferrosui consortium et similitudinem impertit, ita charitas omnium virtutum actus, etiam indifferentes, si eos informet, igneos reddit ac meritorios. Sine ea mortui sunt, obscuro et tenebricosi sunt, frigidi sunt. Dispicuit Deo munus Caini, quia sine adipe, placuit munus Abelis, quia de adipe fuit, Gen. IV. Charitas operum adips est, sine quo macilentæ coram Deo et insipida sunt. Ac licet munus seu opus in se vilis sit, si tamen plus hujus adipis habeat, plus valebit alio grandi. Denique, præter indicata stipendia sperare potest plurima alia dona singularem protectionem, prosperitatem in omnibus suis actionibus. Ait enim apostolus ad Rom. VIII. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; etiam quæ molesta eis sunt, tribulationes, dolores, morbi, curæ, mors, ipsi etiam lapsus eorum. Unde Augustinus, I. de gratia et lib. arb. *Quid est omnia?* inquit. *Nisi et ipsæ terribiles sævæque passiones?*

IV. Potentia et imperio. Nam imprimis imperat et dominatur omnibus affectibus, odio, iracundiæ, timori, cupiditati cæterisque effrænatæ passionibus, sensibus quoque et membris corporis. Id declarans S. Chrysostomus, in Act. XVIII. similitudine citharæ, ait: *Hæc melodia demonum furorem compescit, et affectionum demulcet impetus, imo eis silentium inducit: sicut musico choro personante omnes auditores quantumvis garriuli et turbidi silent et auscultant*. Est velut regina quædam omnibus imperans facultatibus, ut nihil ipsi durum sit aut molestum, nihil eam a propo-

sito retrahere aut impedire queat. Ad hæc vincit et perrumpit omnia. Quemadmodum mors neminem mortalium curat, sed omnes invadit ac sternit, ita Dei dilectio ad neminem attendit nec ad proprios parentes, cum obstare ei conantur. Unde Cant. VIII. dicitur: *Fortis est ut mors dilectio*. Imo fortior est morte, quia S. Paulus igne charitatis accensus ipsam mortem provocat in certamen: *Quis nos separabit a charitate Christi?* inquit. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, etc.* Rom. VIII. Sane etiam teneræ, puellæ sæpe provocarunt mortem et omnis generis tormenta, quasi in duellum. Ipse Dacianus prefectus, cum Vincentium invictissimum martyrem torquet, nec tamen a proposito fidei posset avellere, exclamavit: *Victi sumus*, uti egregie annotavit D. Augustinus, serm. XII. de sanctis. Eodem Cantorum loco comparatur charitas igni vehementissima, qui extingui nequit: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*. Ignis est charitas, quia ut ignis omnia domat, uti durissimum ferrum et marmor: ita amor omnia adversa emollit et vincit, tribulationes, tentationes, obtreccionem, vituperia, etc. nihil possunt ad eam extinguendam. Adhibe minarum flabra, aquarum blanditias, fluminum strepitus et impetus: fremat et minetur diabolus, aduletur mundus, titillet caro, sæviant tribulationes, nihil efficient nec separabunt sponsam ab amore sponsi. Navis est fortissima, quæ omnes fluctus superat, spernit et elidit.

Denique, hominem cum Deo fortissime connectit, ut nulla vi aut potentia ab eo separari queat. Unde vocatur *vinculum perfectionis*, hoc est, perfectissimum, quia superat vinculum cognationis, imo et desponsationis seu nuptiarum, quas abruptit potius, quam divelli se patiat a Deo, ad Coloss. III.

V. Diurnitate. Est enim primum et ultimum mandatum. Primum, attestante Domino in hodierno evangelio, quia nimirum ante legem Moysis, in lege naturæ statim a creatione hominis cœpit eam obligare. Equum enim ac justum est ut homo creatorem, conservatorem, et rectorem suum præ omnibus aliis diligat. Licet igitur hoc mandatum scriptum non foret, nihilominus obligaret nos omnes, quamprimum uti ratione possumus: et nascitur quodammodo nobiscum in utero matris. Ultimum est, apostolo teste, I. Cor. XIII. quia: *Charitas nunquam excidit*, inquit. Manet enim cum beatissimis in cælo per omnem æternitatem. Cessabit in cælo fides, quia ob inevitabilem imperfectam est, nec creditur ibi, sed videtur Deus facie ad faciem: cessabit spes, quia et ipsa ob rei speratæ absentiam imperfecta est,

et ibi jam obtinetur quod sperabatur : cessabunt et alii virtutum habitus quia et illorum actus. Sola charitas non excidit, sed cum beatis manet, quia per eam utpote virtutem perfectissimam diligunt Deum semper. Præterea alio quoque sensu nunquam excidit charitas, quia hominem, quantum in ipsa est, nunquam deserit neque a Deo excidere sinit. Unde Cassianus, coll. III. c. VII. ait : *Charitas est quæ sectatorem suum nunquam sinit cadere supplantatione peccati* ; quamdiu videlicet is studebit charitati, nec per vim ejiciet illam. Liberrimum igitur ac latissimum est imperium charitatis, quam si retinueris, imperator eris perpetuus. Hinc D. August. in I. Joann. IV. tract. VII. ait : *Semel breve præceptum tibi præcipitur : Dilige et fac quod vis.*

VI. Necessitate. Huic enim mandato subscribere debent, quicumque Deo placere et celo inscribi volunt : *Qui non diligit, manet in morte*, inquit D. Joannes, epist. I. cap. III. Quare sicut genuinæ aquilæ proles ad solis intuitum examinantur ; ita filii Dei adoptivi in hoc probantur, si per affectum charitatis Deum irretortis oculis intuentur. Quod si creaturam aliquam plus diligant quam Deum, adulterinæ proles sunt, et proinde abjiciendæ e nido protectionis divinæ et salutis. Distinguit ergo charitas improbos a probis, hædos ab ovibus, milites Christi a militibus diaboli. Hæc illorum character est, hæc vexillum. Qui veste nuptiali caruit, et convivio abreptus et in tenebras exteriores projectus est, idem contingit illi, qui veste charitatis, quæ : *Operit peccatorum multitudinem*, destitutus fuerit. Alteruter ignis nobis necessarius est, aut ignis amoris, aut ignis inferni. Si non arserimus igne charitatis, ardebimus igne gehennæ. Qui charitatis igne præditus est, ad cælum evolabit, duabus illis alis, amore Dei et proximi. Qui igni illo caret, evehi non poterit, sed peccati pondere deprimetur ad infernum. Unde D. Bernardus, serm. II. de S. Michaele, ait : « Perire necesse est hominem qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat : » et S. Aug. I. L. homiliarum, hom. L. *Sola charitas sufficit si adsit. Cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.* Jure igitur mandatum charitatis, mandatum magnum dicitur.

Neque etiam sufficit qualicumque modo Deum amare ; ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus amandus est, hoc est, super omnia, ut explicat auctor. op. imperfecti in Matth. hom. XLII. « Quid est, inquit, diligere Deum ex toto corde ? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius, quam ad Dei : nec delecteris in aliqua specie mundi amplius

quam in Deo : non in honoribus, non in auro vel argento, etc. Sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Sic ergo et omnis anima christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet quam Deum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus amaverit, tanta parte minus amat Deum. » Possunt ergo et creaturæ amari, sed tamen infra Deum : si æque aut plus amentur, mortem animæ afferunt. Apposite rex Salomon sponsam, id est, animam Deo desponsatam palmæ comparavit, Cantic. VII. cum ait : *Statura tua assimilata est palmæ.* Etenim palma hoc habet præ aliis arboribus, quod infra, ad radicem stipes ejus tenuis et angustus, supra vero ad cacumen crassus sit et robustus ; infra angustatur supra dilatatur. Cæteræ arbores infra crassum habent stipitem, supra vero quo magis in altum assurgunt, eo magis tenuem. Anima igitur Deo desponsata debilem et exilem amorem gerit erga terram et creaturas : fortem vero ac magnum erga Deum. Contrarium videre est in mundi amatoribus. Audiamus D. Gregorium, I. XIX. mor. c. XXV. « Omnis arbor, inquit, suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, et quanto paulisper sublimior, tanto in altum subtilior redditur. Palma vero minor ab imis inchoat, et juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, et quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Ita hujus sæculi dilectores in terrenis fortes sunt, in coelestibus debiles : pro temporali lucro et gloria ad mortem desudare parati sunt : pro æterna gloria nec parum quidem in labore subsistunt, etc. At contra justorum vita per palmam significata, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, sed longe magis studiosos se exhibent Deo quam sæculo. » Arbor vulgaris erat initio Heli sacerdos, dum magis amavit filios suos quam Deum, dum delinquentes contra divinum honorem non correxit. Unde exprobrat ei Deus : *Magis honorasti filios tuos, quam me*, I. Reg. II. Verum correxit tandem errorem et palma factus est, amoremque Dei amoris filiorum prætulit ; quod inde colligit Cajetanus quod nec audita populi ruina in prælio, nec filiorum suorum morte commotus est ; sed audita arca Dei capta usque adeo consternatus ac commotus est, ut e sella rueret retrorsum et cervicem frangeret, I. Reg. IV. Ex quo colligit Dionysius Carthusianus haud dubie salvatum esse : *Videtur enim in eo affectus gratiæ et zelus Dei pro tunc prævaluisse affectioni naturæ amorique sobolis.* Abulensis appellat eum vere virum bonum atque laudabilem, desideriumque

ejus sanctissimum circa religionem. « Prælegisset enim vir iste, inquit, sibi mortem, etiamsi in ætate juvenili fuisset, quam arcam captam. Ideo nemini dubitandum est circa statum Heli : nam istud desiderium et zelus maximus religionis, qui cum charitate erat, eo quod propter Deum erat, liberare posset illum ab omni crimine, quia charitas operit multitudinem peccatorum. »

Nos ergo auditores, diligamus Deum ex toto corde et ex tota fortitudine ; ac si non possumus eum ita diligere, ut nihil præter ipsum amemus, saltem nihil æque aut plusquam ipsum amemus. Simus instar palmæ, non instar altarum arborum. Denique, si aliquando *magni* in cælo esse et vocari velimus, sedulo observemus *magnum* hoc mandatum.

## CONCIO II.

## STIMULI AD DILIGENDUM DEUM.

- I. Quia Deus, seu omne bonum : 1. Omnis sapientia.
2. Omnis bonitas. 3. Omnis misericordia. 4. Omnis pulchritudo. — II. Quia Dominus, id est, summus benefactor, et amator noster : 1. Ob bona quæ dat.
2. Ob majestatem amantis. 3. Ob personam quam amavit. 4. Ob modum diligendi. 5. Ob finem propter quem dilexit. — III. Quia tuus, et similis.

## THEMA.

*Diliges Dominum Deum tuum.* Matth. XXII.

Exodi cap. XXX. præcepit Deus Moysi in monte Sinai, inter alia, ut quoties iniret numerum filiorum Israel, offerret unusquisque Deo in pretium pro anima sua medium siclum, continentem decem obolos : ut ita dives nihil addere ad dimidium sicli deberet, pauper nihil minuere. Quid sibi voluit tam religiosa sicli exactio, Deo offerendi ? Venerabilis Beda, I. III. de tabern. c. XIII. asserit hoc censu significari pensum charitatis quo electorum quivis redimere animam suam apud Deum debet, cum electorum numero accensendus est. Continet siclus medius decem obolos, ut dixi, et in præcepto charitatis continetur totus decalogus. Dimidius exigebatur, quia Dei dilectio, dum peregrinamur in hoc sæculo, imperfecta est in nobis, perficietur in cælo. Non exigebatur plus a divite, nec minus accipiebatur a paupere, quia ab unoquoque, sive dives sit in virtutum profectu, sive pauper, charitas exigitur. Denique, census iste tam est exiguus, ut pendi a quovis possit. Si exegisset Deus scientiam, robur, nobilitatem, opes, conqueri potuissent rudes, infirmi, plebei, pauperes. Nunc autem tale pretium vitæ æternæ constituit, quod omnes

## IV. PARS ÆSTIVALIS.

possunt solvere. Tam enim diligere Deum potest pastor, quam doctor, æger quam sanus, rusticus quam rex, pauperculus, quam dives. Nihilominus tamen multis res ardua nimis et difficilis videtur, Deum diligere. Quod inde utique provenit, quia non expendunt, quis sit Deus. Ergo ut amoris Dei stimulos addamus, perpendemus causas, quæ ad amorem istum incitant.

Tria sunt, quæ amare faciunt. Ipsa rei bonitas cognitione percepta, quia objectum amoris est bonum. Deinde, amor reciprocus, cum quis ab alio se amari videt ; amor enim amorem incendit, uti ignis ignem. Unde Seneca, epist. IX. *Si vis amare, ama*, inquit. Denique, convenientia et similitudo aliqua inter amantem et objectum amoris. Sic enim Eccl. XIII. dicitur : *Omne animal diligit sibi simile* ; nisi forte per accidens alter alteri impedimento sit, ut cum figulus figulum odit. Omnia hæc in Deo sunt et triplici ore clamant, ut ipsum diligamus, eaque non obscure notantur in hoc ipso præcepto : *Diliges Dominum Deum tuum.* Ratione enim primi diligendus est, quia Deus : ratione enim secundi diligendus, quia Dominus : ratione tertii, diligendus, quia tuus.

I. Quia Deus, id est, omne bonum ; qui omnia bona omnesque rerum omnium perfectiones in se continet, vel formaliter, uti absolutas : vel eminenter, ut mixtas, quæ cum perfectione aliqua conjunctæ sunt. Hinc ad Moysen cupientem videre Deum, dixit Deus : *Ego ostendam omne bonum tibi*, Exod. XXXIII. Et eccl. XLIII. dicitur in textu Græco *omne* : *Consummatio sermonum*, inquit, *ipse est omne*, quasi dicat : Hæc summa verborum, seu ut uno verbo dicam. Ipse est omnia, ob eandem causam et a veteribus philosophis Deus vocatus est *Pan*, id est, universum, teste Eububino, I. III. perennis phil. c. VIII. Ergo in Deo est omnis et infinita sapientia, bonitas, justitia, misericordia, pulchritudo, opulentia, majestas, gloria, et quidquid demum boni excogitari potest. Unde vocatur a S. Gregorio Nazianzeno, orat. in natalitia : *Infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus* : et in quodam carmine ait : *In te omnia permanent, ad te conferuntur festinant omnia.* Quemadmodum ergo in oceanum omnia orbis flumina maximo amoris conatu tendunt, quia, ut Salomon ait Eccles. I. inde etiam *exeunt*, ita etiam nos maximo amoris conatu tendere debemus in honorum omnium oceanum, Deum ; præsertim quia etiam ab eo exivimus, uti flumina a mari.

Ergo si in homine amamus sapientiam, quanto magis in Deo ? Quanta is sapientia condidit hunc orbem ? Quanta eum gubernat ? Quæ sapientia in cælorum motibus et astris ? Quæ in